



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **SHIMOGAËNSIS\*** DISTRACTIS QUIBUSDAM  
TERRITORIIS AB ARCHIDIOECESI  
BANGALORENSI ET A DIOECESI CHIKMAGALURENSI NOVA  
CONSTITUTITUR DIOECESIS SHIMOGAËNSIS APPELLANDA

Id spectantes, ut Christi mandatum maxima cum efficacia ad effectum adducatur, « Praedicate evangelium omni creaturae » (Mc 16, 15), huic officio exsequendo diligentissimam navamus operam, ut Redemptoris regnum propagetur eiusque Corpus, Ecclesia videlicet, magis crescat in dies, et potissimum quidem iis in regionibus ubi aliae religiones, ipsa asseclarum multitudine, obstant quominus evangelicum fermentum facile massam fermentet (cf. Lc 13, 21). Hoc impedimentum vitantes et Nostrum propositum assequi exoptantes etiam in Indorum natione, iis rationibus utimur quae aptiores videntur, in quibus haud dubie est iusta circumscriptionum ecclesiasticarum dispositio. Consentendum igitur censuimus cum sententia Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, quae utile esse duxit aliam inibi constitui dioecesim christianae religionis disseminandae causa. Qua de re haec quae sequuntur decernimus. Ab archidioecesi Bangalorensi districtum vulgo « Chitradurga » appellatum diducimus et a dioecesi Chikmagalurensi districtum communiter « Shimoga » dictum, exque his separatis territoriis novam condimus dioecesim « Shimogaënsis » vocandam, archidioecesi Bangalorensi suffraganeam, iisdem circumscriptam finibus, quibus duo districta quae nuper memoravimus. Novae dioecesis Cathedram episcopalem in ecclesia principe urbis Shimogaënsis sita collocamus. Simul iubemus pro canonicis consultores dioecesanos ad normam iuris eligi, qui Episcopo in regimine exercendo sint auxilio. Haec omnia perficiendi negotium legamus Venerabili Fratri Augustino Cacciavillan, Archiepiscopo titolari Amiternino et in India Apostolico Pro-Nuntio, necessariis et opportunis factis facultatibus etiam alii viro in ecclesiastica dignitate constituto illud mandandi, onere iniuncto, dioecesis constitutione peracta, primo quoque tempore ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione sincerum exemplar mittendi. Volumus autem ut hae Litterae Nostrae firmae sint et efficaces nunc et in posterum, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die quartodecimo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo octavo, Pontificatus Nostri undecimo.

AUGUSTINUS card. CASAROLI <i>a publicis Ecclesiae negotiis</i>	IOSEPHUS card. TOMKO <i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>
---	---

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*  
Antonius Macculi, *Protonot. Apost. s.n.*

---

\*A.A.S., vol. LXXXI (1989), n. 4, pp. 522-523

© Copyright 1988 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana